



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Francisca Romana. 9. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. FRANCISCA ROMANA. 9. Martii.

CÆlum non terram habitasse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cælum cum FRANCISCA aut FRANCISCA in cælo fuit. Ægrę medicus D. Alexius astitit; Assisium pergens itineris comitem ipsum Franciscū habuit. Gabriel modò inferos ei, modò cælos monstravit. Tutelaris quoq; cum filio Evangelistâ nuper mortuo superveniens Archangelum se esse prodidit; nempe semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad ejus vultū recitare VIRGINIS officiū (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solū cæsarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat. Idē cum perperam aliquid gestū erat, erubescere visus, imò quandoq; subducere se. Semel etiam FRANCISCA, quòd aurem profanis sermonibus licet invita præbuisset, pugnū impegit, quem quidē (audaces nos!) etiam cum accersimus prætextata verba, non metuimus. Jam sub ultimos vitæ dies hic nobiliori Angelo locū cessit. Ipsa cæli REGINA sæpe sapius aspectu suo FRANCISCAM recreavit, FILIVMQUE ad amplexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti assedit, dictisq; animum demulsit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemq; obire iterum, triumphare iterum visus est? Sed & Agnū iterū induere, & ex lateris fonte illud nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus. *Ex vitâ.*

Solent Angeli astare orantibus & delectari in his,

quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. S. Bern. hom. 3. super Missus.

S. CODRATUS M. 10. Martii.

A Deste & aures advertite, qui matrem, qui ubera matris, & sinum clamatissimæ molliculi: suum etiam Superis lac est. Matrem CODRATUS in cunis amisit, neque tamen non molliter est educatus. Etenim nube miraculosâ implicitum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc instillate, plures ut CODRATOS habeamus! Nimirum a cælo lactatus cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, & cæli amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce enim verberant crudelem in morem CODRATVM tortores. Aërem, non CODRATVM, verberant. Nunc minas Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit & promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio imbuti, cum cantu ivere, & illo, si iudices vel Cælitum aures rogasses, longè suavissimo. Jam verò cum capite sunt truncati, gaudio demum diceres exsiliisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem sanguine pinxerunt, fontē reddidit, sed qui Christianorum pro Christo mori volentium non pellet, sed accenderet sitim. *Ex Surio.*

Si vis habere ministeria Angelorum, fuge consortia seculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. S. Bern. serm. 4. in Ps. Qui habitat.

SS. MAR.